

§ *Quibus omnibus coram R. P. D. Falconerio. — De Fargna, ib., n. 7, 8, 9.*

(52. Nisi patronus in limine foundationis sibi reservasset jus prohibendi, ne ab aliis apponatur scamna; quo casu jus prohibendi competeret patrono, non ex vi patronatus, sed ex vi reservationis specialiter factæ de consensu episcopi in limine foundationis. Rota, decis. 475, n. 6, part. XIX, tom. IV, recentior., de Fargna, loc. cit., n. 10.

(53. Bene verum, quod si apponeretur scamnum in eminentiori loco, aut magis ornatum, et nobilitatum, quam illud patroni « crederem patronum habere jus prohibendi, ne in sua ecclesia apponatur hujusmodi scamnum a persona extranea in eminentiori loco ecclesiæ, aut magis ornatum, et nobilitatum, aut altum præ cæteris... quia appositio et erectio scamni in eminentiori loco, aut magis ornati, nobilis et altioris illo patroni detrahit præeminentiæ et honori ejusdem patroni, qui primus in ecclesia patronata sedere debet, et præ cæteris sede nobiliori et altiori honorandus, et consequenter tanquam præjudicialis juribus honorificis patroni poterit per ipsum prohiberi. Lotter., *De re benefic.*, lib. II, q. 4, num. 2; Paris., consil. 149, num. 2, lib. IV; Gratian., *Discept.*, cap. 220, num. 40; Rota, decis. 163, nu. 19, p. 17, recent. et decis. 321, n. 2, *coram Cavaler.* » Ita de Fargna, loc. cit., n. 12, 13.

(54. Atque hæc in animadversionem eorum quæ ab auctore hic supra n. 21, dicta sunt, notasse expediat; haud immorando decisioni rotali, *ibid.* allatæ, quippe ob peculiare circumstantias editæ, prout ex contextu prædictæ decisionis liquido patet. Si quidem agebatur de ecclesia angusta et in qua nunquam scamna apponi consueverant (50).

55. Laicis sanguinis nobilitate præful-

#### SEDITIO.

*Vide verb. BELLUM, art. 1, num. 1, et verb. VIRTUS, num. 87.*

#### SEDITIOSA PROPOSITIO.

*Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, num. 35.*

#### SEMINARIUM.

##### SUMMARIUM.

1. Seminaria erigenda sunt in qualibet ecclesia

(50) Pitonius, *De controvers. patronor.*, allegat. 45, n. 9 et, allegat. 55, n. 49, utique tenet, quod, invito patrono, non possit rector ecclesiæ, vel etiam episcopus dare alteri licentiam apponendi, et retinendi scamnum in ecclesia patronata; atque ad id allegat decis. Rotæ, cujus Lucius noster numer. 21, meminit. Sed cum hujusmodi decisio ex circumstantiis particularibus, Pitonio ipso fatente, edita fuerit; et cæteroquin idem tribunal Rotæ luculenter firmaverit, nequaquam patronum habere tale jus prohibendi, ut hic supra videre est, hinc porro non est, cur in prædicti scriptoris sententiam descendere debeamus. Et revera, argumento ducto ab excavatione et concessionem juris sepulcri, si patronus non habet jus prohibendi, ne in ecclesia patronata excaventur sepulcra favore aliorum, licetumque sit ordinario, etiam absque ipsius consensu,

gentibus non solum permessa est retentio sedilis in ecclesia, sed illud ex postulando denegari non valet, quemadmodum sane liquet ex cæremoniali episcoporum lib. I, cap. 13, in quo conceduntur hujusmodi sedes nobilibus atque illustribus viris, dummodo extra chorum vel presbyterium collocentur, ibi: « Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis plus minusve pro ejusque dignitate et gradu ornatas decet extra chorum et presbyterium collocari, juxta sacrorum canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ religionis introductæ, ac longe observata. » De Fargna, l. c., part. VI, cas. 1, n. 4.

(56. « Tolli (vero) debet abusus dandi in ecclesia sedes altas ad sedendum, et cussinos ad genuflectendum vilibus personis, quibus non debentur, præsertim mulieribus, 1596. Castro, 16 Sept. » Nicolius, in *Floscul.*, v. *Ecclesia*, n. 14.

(57. Porro et illud notandum quod « si inter laicos oriatur differentia super jure sedendi in potiori loco vel alio in ecclesia, hoc casu episcopus tantum est iudex competens, et non iudex sæcularis, cum ecclesia sit extra ejus jurisdictionem, et solius episcopi territorium dicatur, ad notata per Abbat. et Host. in cap. penult. *De sepulturis*; Roc. de curte, in *Tract. jurispatr.*, vers. in *Eccles.*, n. 10. . . » Sic Panimolle, *Decis. for. Eccles.*, part. I, decis. 1, adnotat. 1, n. 10, in cit. oper.

(58. Tandem scias oportet sedilia adesse non posse in ecclesia ita collocata, ut sedentes vertant terga ad SS. sacramentum, et alia indecora oriatur contra constitutionem Pii V, editam an. 1536. Rota recent., decis. 411, num. 2, part. II. — Ita, in *Compendio decis. S. Rot. R.* v. *Sedere, Sedilia, Sedes.*

metropolitana cathedrali et abbatali habente proprium territorium, et in eis tenendi sunt clerici et beneplacito concedere alteri facultatem excavandi sepulcrum in ejusmodi ecclesia. De Fargna, *De jurepatronat.*, part. I, can. 4, cas. 8, n. 5, idque quidem jure merito.

Et ut habet Murga, *De sepult.*, tract. 5, disquisit. 5, n. 2: « Nullum præjudicium patrono infertur ex constructione sepulcri in ecclesia patronata; ergo absque illius consensu, potest illud construi: » Firmatumque fuit per Rotam, in *Burgen. juris sedendi*, decis. 474, n. 4 et seqq. part. XIX, tom. II, recent. apud præd. Pitonius, cit. allegat. 54, n. 49, nec ipse *ibidem* dissentit. Si hæc quidem ita se habent quoad excavationem sepulcri non videmus, cur affirmative pronuntiandum non sit quoad appositionem et retentionem sedilium in ecclesia patronata, utut patronus repugnare velit.

adolescentes.—2. Si non possit erigi seminarium in qualibet cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in provincia per synodum provincialem, et debent aliæ ecclesiæ concurrere ad expensas.—3. Seminaria plura fieri possunt in diocesi ampla; omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali dependere debent.—4. Seminarium censetur vere et formaliter erectum quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam concilii inibi erudiuntur.—5. Seminarium erigi non potest in ædibus canonicalibus, nisi de consensu canonicorum, et ita separatim, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis.—6. Pueri alendi in seminario sumptibus illius, sunt filii pauperum bonæ indolis.—7. Possunt tamen in seminario etiam teneri et erudiri filii divitum, sed sumptibus propriis.—8. Pueri in seminario recipiendi cujus ætatis, et qualitatis esse debeant?—9. Pro administratione et regimine seminarii faciendæ sunt tres species deputatorum seu consultorum, et assignantur, ad num. 17.—18. Pro expensis erectionis et manutentionis seminarii applicandi sunt eo ipso eidem seminario redditus omnes, ac bona omnia, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis destinata, etc.—19. Ubi supradicti redditus non habentur, seu non sufficiunt, debet episcopus primo ex ejus episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, et postea suo exemplo capitulum, et cæteros beneficiatos ad id pro rata compellere, ad num. 59.—60. Quamvis possit, imo teneatur episcopus unire seminario beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire beneficia simplicia jurispatronatus, sive laicalis, sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem collatorem et electorem sine consensu patronorum.—61. Neque seminario uniri possunt beneficia reservata post vacationem.—62.—Neque seminario uniri possunt canonice collegiarum ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam.—63. Item neque seminario uniri possunt beneficia curata nequidem habitu tantum.—64. Neque seminario uniri possunt beneficia regularia, sive dentur in titulum,

(1. Seminaria erigenda sunt in qualibet ecclesia metropolitana vel cathedrali, et in eis tenendi et erudiendi sunt clerici adolescentes. Concilium *Trid.*, sess. XXIII, *De reform.*, c. 18. Et etiam erigenda sunt in ecclesiis abbatalibus habentibus proprium territorium privative quoad episcopos. Sic declarasse sacram congregat. Concilii testatur ex aliis Ventriglia, part. II, adnotat. 29, § unic., num. 2.

(2. Si non possit erigi seminarium in omni cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in provincia per synodum provincialem, et debent aliæ Ecclesiæ concurrere ad expensas. Concil. *Trid.*, cit. cap. 18.

(3. Seminaria plura fieri possunt in diocesi ampla, omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali, dependere debent. Concil. *Trid.*, cit. cap. 18.

(4. Seminarium censetur vere et formaliter erectum, quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam concilii inibi erudiuntur. Rota, *coram Coccino*, decis. 1365, n. 1; Garcia, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 194 et 196; Lotter., *De re benefic.*, lib. II, cap. 29; Ventriglia, part. II, adnot. 29, § unic., n. 42;

sive in commendam; secus tamen si statum mutaverint.—65. Neque seminario uniri possunt abbatia, prioratus et monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo auctoritate Apostolica commendata et obtenta, seu obtinenda per S. R. E. cardinales, seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt.—66. Nec valet unio facta seminario omnium beneficiorum simplicium.—67. Episcopus singulis annis, præsentibus quatuor deputatis, tenetur exigere rationem reddituum seminarii ab administratoribus.—68. Bona stabilia seminarii non possunt ultra triennium locari; nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari. Nec sterilia et inculta in Emphiteusim ad tertiam generationem concedi sine beneplacito Apostolico.—69. Seminarium auctoritate episcopi erectum gaudet immunitate ecclesiastica, ita ut reus ad illud confugiens non possit extrahi.—70. Seminarium est immune a tributis, et aliis sæcularibus muneribus extraordinariis; nec gabellarii possunt diminuere rectori et magistro seminarii consuetam franchitiam farinæ.—71. Seminarii clerici debent in publicis processionibus primi incedere ante clerum sæcularem, ac relinquere locum digniorem curatis.—72. Seminarii clerici non præcedunt canonicis collegiatis.—73. Seminarium non est membrum Ecclesiæ cathedralis, licet in ea clerici seminarii officent.—74. Pro erectione seminarii cogitur quis vendere rem suam, sicuti etiam pro ampliatione domus seminarii.—75. Adducuntur hic ad rem varia decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatello usque ad n. 177.—178. Supradicta decreta, et omnia supra exposita moderanda sunt, et intelligenda juxta novissimam constitutionem Benedicti XIII.—179. Afferuntur ad litteram dicta constitutio.—180. Insuper ad complementum afferuntur hic instructiones, quæ mandata dicti Benedicti XIII, emanarunt circa taxam seminariorum, quæ transmissa fuit ad episcopos Italiae, et insularum adjacentium, una cum hac Encyclica epistola, ad num. 181.—182. Alia ad rem, ad n. 201.

Monacell., part. I, tit. 12, n. 2, et alii passim.

(5. Seminarium erigi non potest in ædibus canonicorum, nisi de consensu canonicorum, et ita separatim, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis: Sacra congreg. Episcop., in *Mutinen.* 3 Febr. 1604.

(6. Pueri alendi in seminario sumptibus illius, sunt filii pauperum bonæ indolis, qui spem bonæ expectationis præferant. Concil. *Tridentin.*, cit. cap. 18.

(7. Possunt tamen in seminario etiam teneri et erudiri filii divitum, sed sumptibus propriis. Concil. *Trident.*, cit. cap. 18.

(8. Pueri in seminario recipiendi debent esse ex legitimo matrimonio nati, et ad minus ætatis annorum duodecim, qui sciunt legere et scribere competenter; tonsura statim, atque habitu clericali semper utantur; discant grammaticam, cantum, ecclesiasticum computum, aliasque bonas artes, sacram Scripturam, doctrinam confessionum audiendarum, sacramentorum ministrandorum, rituum et cæremoniarum, omni die missæ inservant, omni mense contiteantur et communicent, diebus festis

inserviant cathedrali vel alteri ecclesiae. Concil. *Trid.*, cit. cap. 18.

(9. Pro administratione et regimine seminarii faciendae statuuntur tres species deputatorum seu consultorum. Prima species est duorum canonicorum seniorum et graviorum ab episcopo eligendorum, quorum consilium adhibere debet episcopus circa ea quae visitationem, correptionem et gubernationem personarum seminarii concernunt. Conc. *Trid.*, cit. cap. 18, ibi: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggererit, constituent, eaque, ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt, etc. » Secunda species deputatorum seu consultorum, est duorum etiam de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter vero ab ipso capitulo est eligendus. Concilium *Tridentinum*, cit. cap. 18, ibi: « Idem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; » tertia species est duorum de clero civitatis, quorum unus similiter ab episcopo, et alter a clero est eligendus. Concilium *Tridentinum*, cit. cap. 18, ibi: « Itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. » Et horum deputatorum seu consultorum secundae et tertiae speciei consilium tenetur episcopus requirere circa ea quae concernunt portiones detrahendas ex singulis beneficiis pro sustentatione seminarii, et uniones beneficiorum illi faciendas. Sic expresse concil. *Trident.*, cit. cap. 18.

(10. Consilium dictorum deputatorum adhibere debet episcopus, tam in constituendis regulis seminarii, quam in electione, admissione et expulsionem puerorum, in deputatione magistrorum et librorum legendorum, in visitatione et rerum temporalium administratione. Sic declaravit sacra congreg. Concil., ut testantur Ventriglia, part. II, adnot. 29, § unic., n. 6, 9 et 10; Crispin., *De visitat.*, part. I, § 31, n. 6; Monacell., part. I, tit. 12, formul. 1, n. 1, et alii, inter quos eminentiss. cardin. Cavalchinus alias sac. congregat. Concil. secretarius in expositione causae, in *Tricaricensi administrationis seminarii*, sub die 24 Martii 1736, ubi plura refert decreta ad rem, uti videri potest in tomo VII *Thesauri resolution. sacrae congreg. Concilii*.

(11. Hinc episcopus tenetur omnino requirere consilium praedictorum deputatorum respective, alias actus non valet, cum tale consilium videatur requisitum a concilio pro forma. Silvester, verb. *Consilium*, n. 9, vers. *Quarto quaeritur*; Pignatell., tom. I, consult. 180, n. 7, ubi multa ad rem; Monacell., *loc. cit.*, formul. 3, n. 1, ubi dicit, quod sic in terminis declaravit sac. congreg. Concil., in *Salernitana*, quam refert Crispin., *De visitatione*, part. II, § 31, n. 6; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 6.

(12. Licet autem episcopus teneatur deputatorum consilium requirere, non tamen tenetur eorum consilium sequi, ut decisum referunt Barbosa, ad concil. *Trident.*, cit. sess. XXIII, *De reform.*, cap. 18, n. 7; Gonzal., ad regul. 8 *Cancellar.*, Glossa 46, n. 74; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 6, et card. Cavalchin., *loc. cit.*

(13. Seminarii deputati et alii officiales habent votum consultivum, non autem decisivum. Sacra congreg. Concil. 1620, apud Barbosam, *l. cit.*, n. 6, et Aldan., in *Compend. canonicar. resolut.*, lib. III, tit. 18, n. 2.

(14. Canonici duo eligendi, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima et justa causa amoveri possunt; (15. est autem causa legitima senectus, infirmitas et similis alia. Sacra congreg. Concil., in *Cremone*, 5 Septembr. 1602, apud Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 56, et card. Cavalchin., *l. cit.*

(16. Dicti duo canonici deputati, si quandoque contingat ea de causa sine fraude ab ecclesia abesse cum episcopo, non sunt privandi quotidianis distributionibus, tanquam absentes propter Ecclesiae utilitatem ex officio eis attributo. Barbosa, *loc. cit.*, n. 8; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 9; Moneta, *De distributionib. quotidian.*, part. II, q. 8, n. 7, et alii.

(17. Consultorum praedictorum deputatione, quamvis possit fieri extra synodum, nihilominus regulariter fieri debet in synodo, in qua jam totus clerus congregatus reperitur. Corrad., *Prax. beneficior.*, lib. IV, cap. 8, n. 28; Monacell., *loc. cit.*, formul. 2, et alii.

(18. Pro expensis erectionis et sustentationis seminarii applicandi sunt eo ipso eidem seminario redditus omnes, ac bona omnia, quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis destinata; dummodo in illis ecclesiis et locis piis actu erectum non sit collegium puerorum, nec seminarium actu habeatur: secus enim est de tali collegio, sive alio seminario, quia illud non tollitur per *Tridentinum*, in d. sess. XXIII, cap. 18, licet ex fructibus super exerescentibus portio detrahatur. Sac. congreg. Concil., in *Vercellensi* 27 Julii 1570.

(19. Ubi supradicti redditus non habentur, seu non sufficiunt pro erectione et integra sustentatione seminarii, debet episcopus primo ex ejus episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, et postea suo exemplo capitulum et ceteros beneficiatos ad id pro rata compellere; sic de mente conc. *Trid.* declaravit S. C. ejusdem conc., in d. c. 18, sess. XXIII, *De reform.*, ut referunt Barbosa, *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 77, n. 2; Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 96; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 14; Monacell., *loc. cit.*, formul. 1, n. 3, et alii passim.

(20. Unde ad contribuendum pro seminario non solum tenetur episcopus de sua mensa episcopali, abbas de sua mensa ab-

batiali et capitulum de sua mensa seu massa capitulari, sed etiam omnes beneficiati de suis respective beneficiis, etiamsi sint de jure patronatus, ut expresse statuit concilium *Trid.*, cit. sess. XXIII, c. 18. (21. A seminarii enim contributione nullus est exemptus, nisi qui nominatim a concilio excipiuntur, ut declaravit sacra congreg. ejusdem concilii 11 Januarii 1601, apud Sellium, in *Select. canon.*, cap. 36, n. 3; Barbosa, in *Summ. apost. decis.*, verb. *Seminarium*, collect. 1768, n. 1.

(22. Hinc etiam cardinales tenentur contribuere seminario de fructibus abbatiarum et beneficiorum, quae habent in dioecesi, in qua est seminarium et hanc contributionem solvere tenentur juxta taxam ab episcopo et deputatis factam. Sac. congreg. Concil., in *Adrien*, 3 Decemb. 1622, et in *Tudertina* 15 April. 1628, apud Barbosam, ad concil. *Trid.*, cit. sess. XXIII, cap. 18, n. 23, et novissime Benedictus XIII, constit. incip. *Credita*, § 1.

(23. Seminario contribuere tenentur omnia monasteria regularium, non tamen Mendicantium. Concilium *Trident.*, cit. cap. 18. (24. Etiamsi monasteria illa contribuant seminario sui ordinis, tenentur adhuc contribuere seminario episcopi de eo, quod superest. Sac. congreg. Concil., in *Monasterien.* 7 Septembris 1630, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 29; Sellium, in *Select. canonic.*, cap. 10, n. 19; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 33.

(25. Eximit autem concilium, *loc. cit.*, n. 19, ab hac contributione facienda seminario omnia monasteria regularium Mendicantium, quorum nomine veniunt omnia monasteria Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium, Carmelitarum et aliorum omnium, qui ex particularibus privilegiis Summorum Pontificum participant de privilegiis Mendicantium. *Communis*.

(26. Regulares autem Mendicantes, si habeant beneficia unita suis monasteriis, tunc habita ratione reddituum eorumdem, solvere debent pro eorum rata. Sacra congreg. Concil., apud Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 56; Monacell., *loc. cit.*, formul. 1, n. 4; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 28.

(27. Unio tamen dictorum beneficiorum ad hoc, ut regulares compellantur contribuere, est probanda per episcopum; nam in monasteriis Mendicantium, quae possident bona immobilia, onus probandi ea esse per uniones acquisita, in episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta. Sic sacra congreg. Concil., in *una Patavina*, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 68. (28. Et talis unio ad hoc, ut Mendicantes possint compelli ad contribuendum, est plene probanda, non per conjecturas et praesumptiones, sed per gratiae unionis expeditionem. Sacra congreg. Concilii, in *Corneliana* 28 Julii, apud Monacell., *loc. cit.*, numer. 5.

(29. Regulares Mendicantes ex redditibus beneficiorum suis monasteriis unitorum debent contribuere seminario, non obstante, quod praetendant se exemptos, quia videli-

cet in illis lectiones grammaticae et conscientiae casuum pro audiendis confessionibus quotidie habeantur, quia ex hoc non eximuntur, sed tantum deducitur impensa faciendi pro habendis praedictis lectionibus a contributione et ex reliquo solvant ad ratam. Sacra congreg. Concilii, apud Sellium, in *Select. canon.*, cap. 10, n. 19; Barbosa, ad *Trident.*, *loc. cit.*, numer. 28.

(30. Unde sacra congreg. praedicta 21 Julii 1629, declaravit portionem debitam seminario ratione beneficiorum exigi posse post unionem ejusdem beneficii factam regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent. Sic apud Barbosam, ad *Trident.*, *loc. cit.*, nu. 27; Sellium, *loc. cit.*, n. 18. Vide tamen infra constitutionem novissime editam a Benedicto XIII, incip. *Credita*, § 1 in fine.

(31. Seminario contribuere tenentur etiam beneficiati eorum beneficiorum, quae ad collationem et institutionem monachorum pertinent, si intra fines dioecesis sint. Sacra congreg. Concil., in *Caputaquen.* 4 Februar. 1593, apud Aldan., in *Compend. canon. resolut.*, lib. III, tit. 10, n. 22; Barbosam, ad *Trid.*, *loc. cit.*, n. 26, et in *Summ. Apostolic. decis.*, collect. 1568, n. 8 et 13.

(32. Moniales non tenentur contribuere seminario, si beneficia non habeant unita, et si habeant non tenentur, nisi de redditibus beneficiorum unitorum earum monasteriis. Sacra congreg. Concil., in *una Hieracen.*, de anno 1693, apud Sellium, *loc. cit.*, n. 19; Barbosa, ad *Trident.*, *loc. cit.*, n. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 36.

(33. Confraternitates, scholae et capellae etiam intra regularium ecclesias sitae, si habeant beneficia annexa, vel redditus, seu proventus ecclesiasticos, tenentur contribuere seminario. Sacra congreg. Concil., in *Lucana* 5 Julii 1628, et in *Signina* 18 Novemb. 1628, et novissime Benedictus XIII, cit. constit. incip. *Credita*, § 1, ibi: « Nec non fructus, ac redditus confraternitatum laicorum ex certis fundis et capitalibus provenientibus (non autem summas pecuniarias, quae a confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynae, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statui-mus et mandamus. »

(34. Seminario contribuere tenentur hospitalia, quae dantur in titulum vel administrationem, et habent annexa beneficia vel redditus ecclesiasticos. Sacra congregat. Concilii, in *Lucana* 5 Julii 1628, apud Ventriglia, *loc. cit.*, nu. 21, et alios ibi adductos. (35. Non tenentur tamen contribuere hospitalia illa quae administrantur a laicis, et in quibus sunt bona laicorum, quae non data sunt in titulum, commendam seu administrationem. Sic sacra congreg. Concilii, apud Barbosam, in *Summa*, collect. 1568, num. 16; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 22.

(36. Item seminario contribuere tenentur omnia beneficia saecularia et regularia per quoscunque, etiam per cardinales, per Pontificis familiares, per camerae Apostolicae

clericos, ac officiales quoscunque obtenta, et in posterum obtinenda. Sic novissime statuit Benedict. XIII, cit. constitut. incip. *Credita*, § 1, ibi: «Eidem vero taxæ omnia et singula beneficia sæcularia et regularia per quoscunque etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, nec non nostros, et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et cameræ nostræ Apostolicæ clericos, ministros ac officiales quoscunque præsentis et futuros obtenta, et in posterum obtinenda. . . . subijci, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus.»

(37. Item contribuere tenentur omnia beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulvatibus ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda. Sic Benedict. XIII, in dict. constitut. incip. *Credita*, § 1, ibi: «Ac omnia insuper beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulvatibus ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda. . . . subijci, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus.»

(38. Non solum beneficiarius titularis, sed etiam pensionarius tenetur ad contributionem seminarii pro rata pensionis, sive seminarius erectum sit ante reservationem pensionis, sive non. Sic declarasse sac. congregationem Concilii refert ex aliis Barbosa, ad concil. *Trid.*, cit. sess. xxiii, cap. 18, num. 48.

(39. Dicta rata pensionis licet possit exigi a titulari, ille tamen prædictam ratam retinebit a pensionario, nisi aliter inter partes cautum sit in constitutione pensionis, Papa annuente, quam ratam potest titularis retinere ad rationem, quam ipse solvit. Sic sac. congreg. Concil., in *Lucana* 5 Julii 1628, apud Ventriglia, *loc. cit.*, n. 28; Barbosa, ad concil., *loc. cit.*, n. 49 et 50.

(40. Seminarii contributio anticipata solvenda est de quadrimestri in quadrimestre. Sac. congreg. Episcop. et Regul. 8 Martii 1788, apud Ventriglia, *loc. cit.*, num. 38, ubi addit quod in praxi pluribus in locis videntur dictæ contributiones solvi de semestri in semestre.

(41. Capitulum non tenetur solvere taxam seminarii de distributionibus quotidianis distinctis a præbendis. Sacra congreg. Concilii, in *Lucana* 5 Julii 1682, apud Ventriglia, *loc. cit.*, n. 15, et alios ibi citatos. (42. Ubi subjungit, quod hoc procedit, etiamsi omnes fructus canonicatum consistant in distributionibus quotidianis, quæ dari solent duntaxat divinis personaliter interessentibus; adhuc enim non tenentur canonici ad seminarii contributionem, et refert sic decisum fuisse per sacram congreg., in *Capuana* 20 Decembr. 1592.

(43. Item non tenetur capitulum, sive alius beneficiatus solvere taxam seminarii ex emolumentis, proventibus et legatis relictis pro celebratione missarum. Sac. congreg. Concilii, in *Caven.* 17 Novembr., apud

Ventriglia, *loc. cit.*, n. 16; Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, collect. 1568, num. 18.

(44. Item seminario non est contribuendum ex iis, quæ in incerto et in eleemosynis priorum, et similibus consistunt. Sacra congregat. Concil., apud Piasec., in *Praxi episcop.*, part. II, cap. 2, num. 5; Barbosa, *loc. cit.*, n. 20; Ventriglia, *loc. cit.*, numer. 17.

(45. Seminario contribuere non tenetur abbatia unita capitulo cathedralis ante concilium. Sac. congreg. Concil., in *Lucana* 17 Febr. 1629, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 19; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 19, ubi subjungit intelligendum hic esse, quod non teneatur solvere ipsa abbatia principaliter, licet teneatur capitulum habita ratione omnium reddituum, etiam abbatiarum.

(46. Nec seminario contribuere cogi potest abbas, qui in suo territorio et jurisdictione seminarium proprium erectum habet, et provisum retinet. Sac. congreg. Concil. 30 Martii 1594, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 15 et Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. III, tit. 11, num. 31.

(47. Beneficia sæcularia quæ ob illorum fructuum tenuitatem decimis Papalibus non contribuunt, neque contribuere tenentur seminario. Sac. congregat. Concil. 21 Martii 1602, et 23 Martii 1604, et in *Amalphitana* 18 Julii 1699, in respons. ad 11 et 6 Februarii 1700.

(48. Quantitas taxæ solvendæ seminario constitui debet ab episcopo cum concilio duorum deputatorum de capitulo, et totidem de clero. Concil. *Trid.*, cit. sess. xxiii, cap. 18, et Benedictus XIII, dict. constitut. incip. *Credita*, § 1.

(49. In taxanda portione beneficiorum habenda est ratio ad onera perpetua eorundem, et ad alias expensas necessarias a beneficiariis faciendas, quæ prius deducendæ sunt. Sac. congregat. Concil., in *Caven.* 17 Novembr. 1629, apud Barbos., ad concil. *cit.*, cap. 18, n. 4, et in *Summa, loc. cit.*, n. 3, et apud Bonfadin., in *Thesaur. ecclesiastic. decis.*, resolut. 32, n. 7.

(50. Taxa instituenda est juxta beneficii qualitatem, loci et diœcesis ubertatem et charitatem. Alibi enim summa duorum eum dimidio pro centenario sufficit, et alibi etiam quatuor approbatur, ut decisum refert Pignatell., tom. I, consult. 416, et tom. IX, consult. 81, n. 100. Et licet taxa regulariter non debeat excedere dimidiam decimarum; Clemens tamen VIII concessit episcopis posse taxare beneficia pro seminario plus medietate decimarum, non obstante bulla sancti Pii V, si expedire judicaverit. Sic refert et tenet Ventriglia, *loc. cit.*, n. 39; Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 107 in fine. Episcopus enim virtute potestatis sibi attributæ a concilio, nedum in dimidio decimæ potest taxare beneficia, sed etiam in majori, prout expedire judicaverit, ut ex decretis sacre congregationis probat Galle-mart. *supra d.* cap. 18, n. 26, et sequitur Monacell., *loc. cit.*, formul. 2, n. 6. Novissime autem Benedict. XIII, constit. in-

cip. *Credita*, § 2, statuit quod taxa nunquam minor sit scutis tribus, neque major scutis quinque pro quolibet centenario. *Vide infra*, ubi datur ipsa constitutio ad litteram.

(51. Taxa juxta temporum et rerum exigentiam augeri potest, ut in casu, quo redditus seminarii essent ita diminuti, ut ad victum scholarium, aliaque onera subeunda non sufficerent. Corrad., *Prax. benefic.*, lib. IV, cap. 8, n. 19; Pax Jordan., *Lucubrat.*, tom. II, lib. VII, tit. 4, n. 23; Monacell., *loc. cit.*, n. 7, et alii.

(52. Ita econtra taxa est reducenda et moderanda, si redditus beneficii taxati absque culpa beneficiati notabiliter diminuantur. Sacra congregat. Concil., in *Romana taxæ* 26 Januarii 1697, apud Monacell., *loc. cit.*, formul. 1, n. 7.

(53. Si seminarium in totum vel in partem reperitur dotatum, vel alias auctum redditibus, tunc quantum seminarium lucratum fuerit, tantumdem demi debet de taxa, textu expresso in concil. *Trid.*, cit. cap. 18, ibi: «Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperitur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur;» et sic declarasse etiam sacram congregationem refert Ventriglia, *loc. cit.*, n. 41.

(54. Episcopus potest compellere debitores taxæ seminarii ad solvendum etiam censuris, aliisque juris remediis. Sac. congreg. Concil., in *Mexicana*, apud Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. III, tit. 16, n. 24, et Barbos., in *Summa, loc. cit.*, numer. 4.

(55. Quod si episcopus denegaverit suam portionem, potest compelli, et acriter corripi ab archiepiscopo, et archiepiscopus a concilio provinciali, uti etiamsi adesset negligentia in seminarii erectione, ejusque conservatione. Sic expresse concil. *Tridentin.* citat., cap. 18, ibi: «Quod si cathedralium aliarumque majorum ecclesiarum prælati in hac seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, episcopum archiepiscopus, archiepiscopum, et superiores, synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat.»

(56. Episcopus potest, imo tenetur unire seminario beneficia aliquot simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint sine cultus divini et obtinentium præjudicio, etiamsi essent affecta, aut in curia effectum sortirentur. Conc. *Tridentin.*, citat., c. 18; Barbosa, *ibid.*, n. 53, et alii communiter.

(57. Pro hujus unionis forma tamen requiritur primo, quod seminarium jam sit erectum et formaliter institutum. Sic auctoritate Rotæ et Sacre congregationis probat Garcias, *De beneficiis*, part. XII, cap. 2, n. 193, et Lotter., *De re benefic.*, lib. I, qu. 30, n. 47 et seq.; Ricc., in *Prax.* 3, *Part. resolut.* 415, n. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 42,

contra Gonzal. et Grat. Ad hoc autem, ut seminarium ad hunc effectum censeatur jam erectum, sufficit quod domus sit jam conducta seu empta, et pueri sint introducti, et sint duo de capitulo, et totidem de clero ad præscriptum concilii citat. cap. 18, vere electi et deputati. *Communis.*

(58. Secundo, requiritur, quod concurrat vera et præcisa necessitas seminarii faciendi ei talem unionem cum consilio dictorum deputatorum; nec sufficit pro facienda tali unionem causa commodioris sustentationis vel amenitatis et recreationis gratia. Sic Rota, in *una Mediolanen. prætensa unionis* 16 Novemb. 1594, coram D. Orano; Lotter., *loc. cit.*, n. 60; Cæsar. de Grass., *decis.* 132 per tot.; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 42, et alii.

(59. Tertio requiritur quod præcesserit deductio fructuum de mensa episcopali et de aliis beneficiis juxta formam concilii in d. cap. 18. Sic respondit sac. congreg. et tenuit Rota, in *Aversana beneficiorum* 3 Julii 1606, coram D. Sacrato, et in *recentioribus*, part. II, *decis.* 361, n. 7; Lott., *loc. cit.*, n. 61; Ventr., *loc. cit.*, n. 42, et alii.

(60. Quamvis autem possit, imo teneatur episcopus unire seminario beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire beneficia simplicia juris patronatus, sive laicalis, sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem collatorem et electorem, sine consensu patronorum. Clement. unica, *De statu monachor.*; conc. *Trid.*, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 15. Et sic expresse decisum fuisse referunt Franciscus Leo, in *Thesaur. fori eccles.*, part. II, cap. 16, num. 23; Molfesius, in *Summa theolog. moral.*, tract. 6, cap. 44, a n. 62, et alii.

(61. Neque seminario uniri possunt beneficia reservata post vacationem; quamvis enim uniones beneficiorum factæ servata forma a Tridentino præscripta validæ sint, si fiant ante vacationem; sunt tamen invalidæ et nullæ, si fiant post vacationem, et provisi a Sede Apostolica mitti debent in possessionem. Sacra congreg. Concil., apud Garciam, *De benefic.*, part. XII, cap. 1, n. 102 et Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Unio*, n. 6 et 7.

\* Beneficia, quæ jam vacaverant in mense reservato, vel quæ alias sunt indubitanter reservata, non potest episcopus unire seminario vigore hujus decreti conc. cum id fiat in præjudicium reservationum Apostolicarum, ut refert decisum Gonzalez, Regul. 8 *Cancel.*; Gloss. 5, § 7, n. 73; Barbosa, in *Trident.*, sess. xxiii, c. 18, n. 44. *Vid.* amplius *Addit.* in fin. h. articuli.

(62. Neque seminario uniri possunt canonicatus collegiatarum ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam, quia conc. *Trident.* cit., cap. 18, non loquitur de his beneficiis simplicibus Sac. congreg. Episcoporum, in *Aquilana* 27 Martii 1590, apud Sell., in *Select. canon.* cit. cap. 10, n. 21; et Barbos., in *Trident.* cit. cap. 18, n. 36. (63. Item neque seminario uniri possunt beneficia curata nequi-